

Rozprawy
o panowaniu Jana Kazimierza
króla polskiego
odnoszące się

Od Bartynows. za 5 złt.

17 *r)* S. R. M. Sueciae binae literae, priores ad S. R. M. Christ. et posteriores ad Gen. Ordines foed. Belgii, contra causas expeditionis in Zelandiam contra reg. Daniae. b. m. i r. (k. n. l. 4)

18 *s)* Resurrectio Poloniae auxilio aquilae. b. m. 1658. (k. n. l. 2)

19 *t)* Epistola amici ad amicum de causis renascentium dissidiorum Sueco-Danicorum. Hamburgi 1658. (str. 10)

20 *u)* Brevis discussio querelarum, quae per regis christ. legatos et internuntios contra augustiss. Imp. Ferdinandum III. propositae sunt. b. m. 1657. (str. 20)

21 *v)* Labores electorii sive solennia electionis et consecrationis. b. m. 1658. (str. 30)

22 *y)* S. R. M. Sueciae commissariorum responsum ad literas legatorum electoralium Brandeburgicorum. b. m. 1659. (k. n. l. 24)

23 *z)* Censura censurae in collegium electorale amicae. b. m. 1658. (str. 44)

24 *aa)* Biorenklou Math., Memoriale ad eminentiss. sereniss. S. R. I. electores. b. m. 1658. (str. 32)

25 *bb)* Peyrer Isa. Epistola ad Philotimum, qua exponit rationes propter quas ejuraverit sectam Calvini et librum de Praeadamitis quem ediderat. Francofurti 1658. (str. 36)

26 *cc)* Retz de Joan. Franc. Paul. de Gondi Omnibus episcopis, presbyteris et universis filiis ecclesiae. b. m. 1660. (str. 28)

27 *dd)* Animorum in Europa et vicina Asia motus de Suecici belli motu in Polonia. Upsaliae 1656. (str. 75)

28 *ee)* Gabriis Luc. de. Injustitia armorum Suecicorum in Polonos responsione apologetica ad epist. Cyriaci Thrasymachi ad Andr. Nicanorem data, nec non ad brevem et preliminarem enumerationem causarum, ob quas Carolus Gustavus R. Suec. coactus est Reg. Pol. bello adoriri. b. m. 1657. (str. 60)

29 *ff)* Elogium funebre Ser. Caroli Gustavi R. Suec. Gothenburgi in Suecia Februario mense a. 1660 extincti. b. m. i r. (k. n. 14)

30 *gg)* Epitaphium Regni Daniae agonizantis, eiusque inopinata convalescentia et generosa resurrectio ex tumulo. b. m. 1660. (k. n. l. 4)

31 *hh)* Homo politicus auctore Pacifico a Lapide. Cosmopoli 1664. (str. 30)

32 *ii)* Stetget Harip. Conjectio de futuro Romanorum rege promovendo in imperatorem. b. m. 1658. (str. 22)

33 *kk)* Collegium reliquorum Imp. deputatorum ad Collegium electorale de praesenti statu Imp., imperatore eligendo, scribenda lege, annexis aliis. b. m. 1657. (str. 97)

34 *ll)* Responsio ad duo scripta Danica, quorum alterum sub

niss. ac poen-
gatos conicta

(str. 84)
gyrice. b m.

i Hungarae.

is Poloni In.
sky Casll.
explicat, qid
cis. Custni

ncto pacis et
)

licum. b. n.

o. m. 165.

io in Epis.

Dioec. P-
tia, in Or.
niae 165.

is. D. Elec.

M. Polonia
, Principe.

electorii. b

bina, pri
d collegium

discussio-

et Regem

14

MEMORIALIA BINA

Prius

AD DEPUTATIONEM STATUUM ORDINARIAM;

Posterius

AD COLLEGIUM ELECTORALE

directa & exhibita

à

SACRÆ REGIÆ

CHRISTIANISSIMÆ MAJESTATIS

Per totam Germaniam & Regna Septemtrionalia extra ordinem Legatis Plenipotentiariis,

ANTONIO DUCE DE GRANDMONT,

Pari & Mareschallo Franciæ, Status Ministro, Supremo Domino in Bidachen, Gubernatore & Locumtenente Generali Regni Navarræ, Principatus Bearniæ, arcis Sancti Joannis Pedis-porti urbis & castri Bajonæ, Regionisque Laburtensis Cohortium Prætorianarum Præfecto.

HUGONE DE LIONNE,

Ex Consiliariis Status, Torquatorum Regiorum Ordinum Commendatore, Marchione de Fresne, Dno. de Berny, &c.

M. DC, LIIX,

Difficillime quisquam in animum suum induxisset, tantum sibi arrogasse potentiæ Hispanos in gubernando Monarchicè sacro Romano Imperio, & eò usque suâ hac authoritate abuti potuisse, ut immemores Germaniæ calamitatum, sive eadem mala renovandi studio, quibus dedit originem rupta olim eorum impulsu pax Italiæ specioso Mantuanæ successionis titulo; Etiam nuperrime defunctum Imperatorem impellere potuerint, & adigere ad immittendos contra ipsammet Capitulationem suam & contra Pacta Monasteriensia integros in Italiam exercitus, & demum ab obitu Imperatoris Regem Hungariæ, ut sua authoritate eædem copiæ sub fictitii Vicarii ductu, nomine Imperii & cum vexillis suis, non sine Statuum ludibrio, hostilitates prosequerentur in Coronâ Imperio amicam & fœderatam. Non modò à prædictis Imperatore & Rege non consultis antea (sicuti par erat) verũ absque dubio invitis & toto animo refragantibus Electoribus, Principibus, & Ordinibus Imperii: quippe ipsis acerbũ non potuit non esse, ac intolerabile, nihil haberi, ad Hispaniæ nutum, Capitulationes Cæsareas, & ita denique apertissimè (ut coloratè primùm) & multifariam ab Austriacis rescindi & violari sacrosanctum pacis Instrumentum tot laboribus ipsorũ Statuum ægre coalitum, quod pro Pragmatica Sanctione & lege Imperii fundamentali in perpetuum haberi sancitũ erat, recessuique Comitiorum Ratisbonensium Anni 1654. insertum. Oculis omniũ è contra evidẽtissimè observatur, quæ fuerit sacræ Christianissimæ Regiæ Majestatis in danda & sanctè colenda tuendaque Imperii pace mens & ratio; Quâ virtute posthabitis rebus suis & commodis; Quâ pietate erga Dei gloriam (cui plurimum damni diuturnior bellorũ æstus inferre poterat) prætermiserit uberrimos quos ex armorum sorte jam ceperat, majoresque sperare poterat in Germaniâ fructus, si hostes suos, quorum res, (ut neminẽ latet) sæpe fuerunt desperatissimæ, ad extrema compellere ambiisset; Quâ deniq; animi magnitudine & moderatione Pacem, cui salus Germaniæ fuit conjuncta, tot oppidorum & Arcium extraditione redemerit. Neque à die ipsa Pacis juratæ Majestatis suæ nomine quæsitum aut propositum quicquam fuit alio fine aut instituto, quàm constantiùs firmandæ in Imperio jã stabilitæ tranquillitatis, & unionis arctioris inter Principes Catholicos & Confessionis Augustanæ, cum quibus in quoslibet & quovis colore surgentes Pacis Germanicæ turbatores communia inire con-

silia mutuamque operam impendere prædicta Majestas crebro obtulit & paratissimam etiamnum se profitetur.

Enimvero cum Domus Austriaco-Germanica multis nominibus plusquam quivis alius Princeps in hac Pace compendii fecerit; Tot nempe tantique momenti locorum restitutione; Tot abductis ex Imperio aut exauthoratis copiis, quibus (ne aliud dicatur minus modestè quamvis verè) legem hanc imponere arduum erat; prætermisso in bonum pacis antiquo Procerum Bohemiæ Regum suorum Electionis jure; Redditâ denique ipsi superiori Austriâ cum pleno exonere solvendorum Domui Bavaricæ tredecim millionum florenorum alterius Domus Electoralis dispendio gravi; Exinde cuique indubitatò persuasum fuit eamdem Domum tot ex memoratâ Pace cumulatam & auctam beneficiis & commodis Hispanorum voluntati non ita imposterum fore addictam & obsequentem, ut juramenti præstiti tam cito oblita, nec sine famæ propriæ in fide fractâ labe, Tractatum Pacis sibi alioquin conducibilem sed & utilissimum magis indulgendo alienæ dominandi libidini quam Patriæ saluti & bono prospiciendo infringeret.

Vidit tamen & mirata est Europa pro tanto Pacis beneficio (cujus conciliandæ gratia ita sincerè, ita rei suæ parum studiosè, ita causæ communi amicè se gessit sacra Christianissima Regia Majestas) non aliud à totâ Domo Austriacâ par dictæ Majestati relatum, quàm contra Sanctionem pacis, clam & palam, per se & per alios, directè & indirectè specie juris & viâ facti, in Imperio & uspiam extra illud, movisse omnia & etiam num movere, ut Majestatem suam novis & perpetuis bellis implicet, Regna & ditiones suas: Tum intestinos motus & dissidia exsuscitando & fovendo: Tum externis & apertis aggressionibus invadendo, labefactet, hinc à lineâ Germanicâ violato Monasteriensi Tractatu, inde ab Hispanica rejectis æquissimis juxta & honestissimis Pacis conditionibus Madritium usque sibi dictatis.

Porro cum defunctus Imperator & ab ejus interitu Rex Hungariæ; Tum missis toties in Belgium militibus & suppetiis; Tum integro ut dictum est in Italiam exercitu, manifestò testatum fecerint se Imperii rationes, compendia & tranquillitatem peculiaribus Hispaniæ aut commodis aut affectibus longo intervallo posthabere, imò & facillime devovere; nempè excitato aut eorum Armis, certe consiliis in tot Christiani orbis partibus bello, Gallia nempè, Svecia, Polonia, Dania, Moscovia, Tartaria, Transsylvania, Vkrania, Pedemontio &

Ducatu

Ducatu Mutinensi, quibus omnibus armis Domus Austriaco Germanica impulsu Hispaniæ, non consultis Imperii Ordinibus se immiscuit, ut ipsum Imperium (si licet) tandem iisdem bellis involvat, & secundum Ministri cujusdam Hispani satis notum effatum & votum, Germania vicinis & circumquaque flagrantibus flammis ocyùs accendatur ut Hispaniæ bene sit.

Sacræ Christianissimæ Regiæ Maj. extra ordinem Legati Plenipotentiarii inhærendo Pacis Instrumento, & iisdem planè rationibus & postulatis insistendo, quæ ex parte dictæ Majestatis per Dominum de Gravel duobus scriptis hic adjunctis Imperii Deputationi ordinariæ pridem exhibita fuere, Sac. Rom. Imperii Electores, & Principum & statuum Deputatos convenienter requirendo interpellant, ut pro debito quisque dignitatis & authoritatis, quã à Deo habuerunt in Republica pro tuendo jure ex Legibus & Constitutionibus Imperii iis cõpetente, pro illæsis servandis prærogativis, libertate & privilegiis suis, in Pacis gratiam tam lubenti animo datæ; pro innato sibi erga patriam communem, & speciale cujusq; Status bonum affectu; pro salute & tranquillitate Imperii, cujus custodes sunt & columnæ; pro fide tandem jurati tractatus & perjurio (quod absit credi posse) non incurrendo, talia prædictis malis & majoribus etiam imminentibus velint adhibere remedia, quibus non solùm pax stabilita conservetur, sed illæsa semper arctiùs confirmetur, de æqua super tot gravaminibus satisfactione providendo, tum Sacræ Regiæ Christianissimæ Majestati, tum Coronæ Sveciæ, tum Duci Sabaudiæ & Duci Mutinæ secundum tantorum Regum & Principum pacis consortium justissima per Legatos & Deputatos Ministros suos requisita: Sin minus, toti orbi perspicuum sit per Regem Christianissimum non stetisse quin florenti & quieta Republica frui potuerint.

Dabantur Francofurti 2. Octobris 1657.

 Cum

CVm Sacra Christianissima Regia Maiestas nihil humani magis timeat quàm armorum causas, parum autem eventus Deo confisa, si bellum tandem cujus se sciat insontem, necessitate capessendum sit, non modò à dignitate sua alienum non existimat, etiam post parvi habitas tot expostulationes suas, ea iterum atque iterum media tentare quibus pax Imperii adeo labascere visa, inconcussis munimentis adhuc possit firmari, sed quo plus in Germaniæ etiam quasi incuriosæ tranquillitatem omni ope & opere contenderit, id majori sibi gloriæ & erga Status merito ducit, exindeque causam suam (quoquo demum res cadant) etiam Deo & toti Orbi Christiano magis probari confidit: Prædicta itaque Majestas hactenus non unis modis graviter læsa ad arma tamen ullâ ratione se impelli non sustinet, nisi liquido demum perviderit, nullam sibi ab adversariis suis relinqui servandæ pacis spem; semel adhuc expertura, & postremò, maximâ sua in Collegium Electorale fiducia, an quod æquum est, per ejus authoritatem, bonique publici studium, obtinere possit nec ne; quodque nec in Imperii Comitiis, nec in Imperatoris Aula, nec ab ordinaria Statuum Deputatione huc usque impetrare valuit.

Quam cruenta & immania bella tricennalia devastaverint Imperium, tam in recenti memoria est, ut citra paucos, quibus turbæ lucro sunt, nullus omnino bonus Germanus ad armorum nomen aut metum non horrere debeat.

Tot diuturnis illis populorum calamitatibus finis miseratione divina impositus est Monasterij & Osnabrugis Westphalorum pace post immensos quinquennij labores tandem solennissimè sancita & quidem tali qua non alia fuit unquam celebrior, exoptatior aut utilior; quippe quæ dissidiorum omnium Imperatoris cum finitimis potestatibus vel cum ordinibus, atque etiam ordinum inter se, materiem ad usque radicem extirpando, bella in perpetuum ab Imperii præcordiis & finibus, dummodo pacta rite colerentur, eliminaverat.

Quo rerum statu & quibus conditionibus pax ista facta sit, æquius esset eos meminisse quibus tanto compendio fuit; Absque tamen exprobratione, moderatissimè dictum sit, quod Reges fœderati secundis rebus in bello utentes, tot afflictis & gemebundis populis prodesse, quam majora sibi commoda comparare, satius duxerint, tùm præpotentibus exauthoratis, aut ab Imperio revocatis exercitibus, tùm Iure belli occupatorū, facta supra tres partes ultrò restitutione.

Notum

Notum porrò est quam sincerè & plenè Rex Christianissimus ad effectum omnia traduxerit, quæ Monasterÿ & Noribergæ secum contracta fuere. Quam accuratissime pactam pacem servaverit, quoties palam contestatus sit se imposterum quoque observaturum eamdem, quodque iterum hic declarat: An verò Rex pacem læserit tribus librarum millionibus Archiduci Oenipontano pro Alsatia nondum solutis, in eo ejus Majestas ipsam tabularum Monasteriensium litteram, quæ renunciationem Regis Catholici pecuniæ illius persolutioni supponit atque præmittit: tum & universum Electorum Imperii Ordinumque Senatum judicem facere non dedignabitur, maximè memor quid sibi nomine Imperii 28. Ian. 1649. & postea Noribergæ 29. Iulÿ 1650. de solutionis illius usq; ad traditionem Hispanicæ Renunciationis suspensione, in vim paris pactionis cum ipso instrumento, & specialis garantiæ promissum fuerit. Nemo certè sani cerebri deposcet à Rege singulas in horas condictum pretium dependere parato, quod ne à privato quidem patrefamilias verecunde posset in cujusvis rei acquisitione, nedum in comparando ut hic agitur, supremi status dominio.

Notum est contra, & unicuique ad oculum patet quàm aperte, quoties & quanta cum pertinacia Domus Austriaca Lineæ Germanicæ Hispanis impulsoribus, & ipsis gratificatura, legibus Pacis contravenerit, veluti ex adjunctis hic libellis antehac oblatis satis dignosci potest. Neque multa expositione opus est vel juris ratione, vel facti, cumprimis quando introspicietur & mens paciscentium, & universa tractationis seu pacificationis series & ipsarum vocum tenor in instrumento Pacis evidentissimus, tum quid hactenus in Belgio ac Italia reipsa susceptum & actum fuerit; quanta denique æquanimitate id omne Rex Christianissimus commodis Imperÿ magis inserviens quam propriis huc usque toleraverit, nihilo tamen inclinatioribus belli incentorum ad servandam pacem animis.

Conditio fundamentalis ceu suppedaneum, super quo totum pacis ædificium extructum est, & quo sublato vicissim collabetur, fuit, estque semper illa quam Christianissima Majestas sibi tam clare stipulata est, pleneque assecuta fuit, de mutuis hostibus præsentibus vel futuris nullo modo juvandis, toties inculcata reciprocæ obligationis necessitas, quod tum ipse Imperator, cum Status Imperÿ iis bellis Galliam inter & Hispaniam vertentibus, contra Cæsareas Capitulationes & Constitutiones Imperÿ se immiscere non debeant; nullo sub nomine prætextuve, aut ullius controversiæ bellive ratione Hispanos,

milite,

milite armis pecunia, commeatu, receptu, stativis, transitu aliterve adjuvare.
Ne item Galliæ pacis consorti quicquam posthac hostilitatis, inimicitiæ, mo-
lestiæ, aut impedimenti quoad securitatem vel statum, directè vel indirectè,
clàm aut palàm, per se vel per alios, specie juris aut via facti, in Imperio, aut
uspiam extra illud, non obstantibus ullis prioribus pactis in contrarium fa-
cientibus inferant, vel inferri faciant aut patiantur, &c. ipsissimus hic est ta-
bularum pacis contextus. Sane absque id genus Cautionibus fuisset delirasse, &
penitus oblitam sui Galliam oportuit, quæ cum vires in Imperio post in se con-
tractas haud multo negotio in media Germania distinere posset; eas tam im
provide in sua viscera attrahere maluerit, solo belli theatro in ipsam Galliam
quietis alienæ tam prodigam commutato.

Hoc tamen innocenti & immeritæ Galliæ pacem in Imperio pactæ, sed Hi-
spanorum authoritate & astu nullam ex Imperio pacem habenti huc usque acci-
disse omnis Europa novit. Vt enim taceantur factæ in offensam pacis ab Impe-
ratore pro Hispanis frequentes militum (totidem in horum defectum factis
supplementis;) exauctorationes, sine ulla dimissione instituto curioso inter
Cæsareos milites selectu: transmissæ sunt etiam sæpissime integræ armatæ co-
piæ in Belgium ac Italiam, primum tectè & sub persona variorum prætex-
tuum, tùm aperte in Mediolanensem Ducatum ante sesqui annum justus exer-
citus sub Imperii Aquila submißus fuit, teu rupto aggere ac tanquam præstru-
cta sic antegressus illis ausibus impune peccandi licentia, inconsultis Ordinibus
& non consideratis amplius aut Capitulationibus, aut Instrumento Pacis, au
juribus Collegij Electoralis, absque cujus consensu arma in neminem expedir
debent, (quanto minus extra Imperium mitti;) in speciem quidem feudi Im
perialis defensionis obtentu, reapse quo gemina pactorum Monasteriensium
transgressione, & Hispanis succurreretur in Galliam, & Ducibus Sabaudi &
Mutinæ (quod è contra Instrumento Pacis cautum erat) grave afferretur præ
judicium.

An enim Galliæ & fœderatorum armis Mediolanensis Ducatus non pete
batur? An non feudum Imperii erat, cum Imperator se obstringebat à bello tur
vertente hodieque pariter manente abstenturum? Num Pedemontium tan
sæpe invasum, annoque 1639. propemodum integrum occupatum, & in qu
Vercellensis ditio ac Trinum etiamnum ab Hispanis insidentur? An Mutinen
sis & Regianus Status minus sunt feuda Imperii? Annon protectionem Im
peri

perialem commerentur perinde ac Mediolanensis Ducatus? An is non alio nisi feudi vinculo connexus Imperio, peculiari & majori privilegio munitus est quam ipsa vera corporis Imperii, suffragii jus inibi habentia membra, quale est circulus Burgundicus, in quo flagrantibus bellis Imperator tamen se involvere vetitus est? Nunquid interest Imperatoris & Imperii potius unum quam alterum principem habere vasallum dummodo suis Imperatori honos & sua jura Imperio sarta tecta serventur inoffenso directo dominio? hoc Germaniæ Regem Christianissimum & fœderatos subtrahere velle an constat dum in feudo Imperii hostes suos bello persequi coguntur? An licet Imperatori vasallis inter se dissidentibus unum alterumve privare utili suo dominio causa antea non cognita? An denique in ultimis terrarum oris vivitur, ut ignoretur Ducem Mutinæ bellum mere defensivum, idque necessitate coactum, gerere, cum imparatum & imparem nihilque tale suspicantem Hispani primi totis viribus suis Italicis, nulla data occasione, nulla causa dicta, nulla prævia belli denunciatione ipsum aggressi sint, urbem Regium obsidione cinxerint, Brixellum tentarint, subditos ejus explicaverint? An nescitur tanta animorum commotione cæteros Italiæ Principes & Status usque adeò indigne tulisse repentinam hanc Præfecti Mediolanensis Mutinensium terrarum invasionem Apostolica sede vacante attentatam, ut ipsum sacrum Cardinalium Collegium Eligendo Ecclesiæ Capiti congregatum Sanctissimo operi minus per aliquot dies intentum fuerit, quo flammam nascentem interea conaretur restinguere Nuntio Alterio ad Marchionem Caracenam qui faces has intulerat misso. Quod si exindè à necessaria sui defensione ad offensam proficere valuit prædictus Dux, id sorti armorum debetur ex justa causa cui Deus favet. Nihilo tamen minus censendus est adhuc unice pro tutela sui bellum prosequi & naturæ ac gentium & omni Imperiali jure licitum, nullatenus, (quæ vox nonnullis excidit) castigari promeritum? quidni verò tantumdem Duci Mutinensi quantũ ceteris supremis Principibus in Italia liceat, ut se uni vel alteri parti conjungat? An quia Sabaudiæ Ducem suum Imperii convasallum vestituris debitis & toties promissis ob Hispanicũ interesse hactenus distitutum adjuvat (ipsi decenter petenti debita & etiam promissa Correggii Investitura semper negata) ideo ab Imperatore integris exercitibus aggrediendus fuit? Neque est quod nunc caussentur Ministri Austriaci nulla superesse in Mediolanensi Ducatu Imperii vexilla, militesque Germanos alia signa dudũ subiisse: Nam cum hoc ipso tacitè

fateantur illicitum fuisse eò submittere exercitum, intolerandum utique est hoc pacto ludi tandiu Galliam, quæ sanè maluisset vexilla Imperij illic remansisse & milites revocari, qui nihilo inefficacius numerum & castra hostium suorum augere pergunt, cum interim Mantuæ Dux etiam non desistat se pro Imperij Vicario & Generalissimo gerere, subditosque Feudorum Imperialium sub illo fictitio titulo imperatis stativis & tributis quantum potest depeculari,

Nec minori facilitate refellitur quod quidam objecerunt, Germanicas copias quæ à conclusione Pacis Regi Catholico meruerunt in Belgio ab Imperatore istuc non missas, sed omnes ære Hispanico in Imperio rite fuisse conscriptas. Primum enim in medio relinquitur an & quo usque per Instrumentum Pacis §. Vt eo sincerior &c. & aliis. Hispanis in Germania liceant conscriptiones & dilectus militum, qui contra aliquem pacificationis Monasteriensis consortem (puta Galliam) ductantur. Notum autem est in vulgus usque quid requiratur ad conscriptionem militum, quid ad eorundem per Statuum Imperii terras transductionem. An fuerunt illi antea à Cæsare dimissi, discissis vexillis, dissipatis turmis, & post illa demum novo Hispanico ære sigillatim conscripti, & Sacramento Hispanico initiati, auspicio solo Regis Catholici proprio, libertate singulis relicta ei militandi vel domum redeundi? An in transitionibus & conductibus per territoria Imperii Statuum observatæ fuerunt constitutiones Imperii annorum 1555. 1564. 70. 76. 82. 94. &c.

Hujusmodi prædictis cautionibus & aliis huc pertinentibus requisitis non attentis, quæ sub specie conscripti militis (supra quinquaginta autem millia militum, si accuratus numerus exputetur ab Austriacis sunt huc usque in Gallos missa pro Hispanis) aut quæ secus facta sunt in detrimentum Regis Christianissimi nihil sunt aliud quam vetita pacis tam solennis non indirecta sed directa oppugnatio, quâ porro continuatâ & integrorum exercituum missu summe adauctâ nec ullâ vel mali præteriti reparatione, vel solidâ futuri præcautione jam obviâ, quid superest quam ut longa litura tandem inducatur toti §. Vt eo sincerior & §. Gaudeant sine contradictione jure suffragij &c. præsertim ubi bellum decernendum, delectus, aut hospitationes militum instituendæ &c. Idque tanto magis factu necessarium erit, quo impensius Ministri Austriaci quam primum urgebunt sicuti in Italiam missus non contra Galliam sed Ducem Mutinensem miles, ita nec in Belgium mittendum dehinc qui in Galliam bellet, sed in Anglos: Pravij enim jam jaciuntur sermones nihil in Instrumen-

to Pa-

to Pacis haberi de intervenientibus Hispaniæ hostibus, prohiberi quidem suppetias in Gallum, sed non in novos inimicos, nempè Angliam. Quasi vero ignotum esse possit, ne quidem etiam Anglos Hispanis supervenisse hostes, sed Anglis Hispanos qui priores illis edixere bellum. Ergone Hispanis dominandi libidine, aut prætensum quoddam damnum ulciscendi animo, nova bella captantibus, continuo subsidia mittere, atque adeo se una cum Imperio iis implicare sinendus Imperator? Cum tamen creetur ab Electoribus non Hispanorum vel suimet commodi, sed Imperii causa, cujus incolumitas & tranquillitas ante omnia bonis Imperatoribus cordi est? Eam vero tranquillitatem in summo præsentissimoque versari discrimine usque adeo certum est, ut id rebus in hoc statu permanentibus effugi nequeat, nisi per solam Collegij Electoralis authoritatem & impavidam firmitudinem. Statuum enim ordinaria Deputatio nequidem vel pusillas vivo Cæsare pro pace literulas ad eum exarare permissa est, cumque post ejus obitum quisque spectatissimorum Deputatorum seorsim quidem fassus sit jure facta à Gallia querelas, iisque debere quamprimum medelam poni & satisfieri, (nisi præter damna inde emersura Imperio, etiam vellet Germania, cui olim boni mores pro legibus erant, de suspecta in tractatibus fide per orbem traduci) tale nihilominus decretum non modo elusum est, sed qualecunque responsum: Idque violentia Ministrorum Austriæ, qui primas in Celsissimo Principum Collegio occupantes periculoso exemplo nequidem alios illustres Deputatos sedere permiserunt, ut, sicuti mens erat, & urgebant, deliberationem inire possent super tam gravis momenti re, quæ convellendo toti Imperio ansam præbere poterat, si res fuisset cum minus amico & pio Rege. Superest solum igitur ut Eminentissimi & Serenissimi S.R.I. Electores fortiter ac debitâ cum providentia dignis & efficacibus in id remediis simul adhibitis, velut in specula fidi pro pace vigiles dispiciant, qua via & ratione tùm in Cæsarea, quæ congruenter præsenti Statui & Reipublicæ necessitatibus condenda est, Capitulatione, tum per idoneas alias cautelas, Imperij saluti accommodas, & circumstantiis aptatas, imminentibus rupturis & ærumnis obviam procedi, & quam commodissime impediri possit, quo minus futurus quisquis sit Imperator auctoritatem & nomen Sacri Imperii, atque vires propriarum suarum ditionum (quod ei æque vetitum est) alienis extra vel intra Germaniam usibus impendere, adeoque se & innocentes Imperii Status, atque ejus detrimentum & præjudicium hæreditarias quoque terras, periculosis

 exie-

exterarum nationum bellis, gravibusque dissidiis implicare velit vel audeat. Id quod certè contingere debere nemo est qui non videat, si sub obtentu novi belli hostisve, videlicet Angli, ab Imperatore in Belgium copiæ Hispanis auxilio submittantur. Præterquam quod enim id omne contorto verborum Instrumenti Pacis sensu directè in Galliam fieret, contrà omnes Capitulationes inde à Carolo quinto huc usque confectas, in Imperium sine Imperii assensu novus provocaretur hostis, & bellum conciretur inexplicabile, quod plusculis locis in Germania multifariã inde posset recrudescere. Quid si par pari tum redditura Gallia sub signis Anglicis copias admoveret propinquis sibi circulis, Anglis commodatò permissas ad vim vi repellandam, hoc facto Gallia nihilo magis pacem violasse insimulari posset, quàm si futurus Imperator supportando arma in Belgium obtendat non in Galliam missa, sed in Anglos. Atque hoc Galliæ jus esse, nemo diffitebitur, qui expendet quod T. Quintius secundum dictamina juris Gentium veterrimi vrsit, l. 34. apud Livium. Amicitia violatur, inquit, his maxime duabus rebus, si socios meos pro hostibus habeas, si hostibus meis te coniungas.

Ceterum cum salus populi sit suprema lex, ambigi non debet, quin persona, res, status & commoda Principis, qui ad Imperiale culmen evehitur, postmodum sejungi à persona, rebus, & statu Imperatoris non possit, concrete semper cum Imperij commodis considerandus. Excelsa quippe Cæsarea dignitas reliqua sibi omnes ita subijcit, ut qui eam adeptus est, seposito omni alio affectu ad solum Imperij & commune bonum collimare, eòque actiones & consilia dirigere, adeo que nihil unquam intra vel extra Imperium, directè vel indirectè, aut su[o] colore defensionis nedum offensive, Imperatorio aut proprio seu privato nomine suscipere debeat unde Imperio pericula & mala creari queant.

Ea sanè de causa cum per octoginta annos bella exagitarint Belgium, Cæsares Austriaci non minus Hispaniæ Regibus cognatione propinqui iis se commiscere abnuerunt; etsi Imperij non una loca possidentibus fœderatis Ordinibus, fida præstita & per Collegium Electorale adhuc anno 1630. Ratisbonæ denuò approbata stabili Neutralitate, etiam cum Gallia annis superioribus juncta cum Batavia novo fœdere viribus Belgium Hispanum impeteret. Circulus Burgundic. non minus id temporis erat Imperij membrum: æque favorabilis immò, longè favorabilior erat apud Austriacos Imperatores ea Hispanorum cau-

sa, utpote cum sibi rem esse in subditos & rebelles ostenderent. Nulla denique tractatuum publica fide, aut alio vinculo ligatæ tum erant Imperatorum manus, ne Hispanis in Belgio succurrerent, nisi eo Sacramento quo per ipsos Imperium in discrimen ullius belli non erat conjiciendum, & tamen non attentis prædictis omnibus, bellis belgicis prudenter & jure Imperatores Austriaci immiscere se detrectarunt, etiam (quæ duo maximi sunt ponderis) cum ipsis esset licitum, & cum magis pro Hispanis periclitaretur Belgium. Longè autem magis periclitatum fuisse quando impetebatur à Gallia juncta Bataviæ finitimæ & terris contiguæ, quàm à Gallia juncta Angliæ mari distractæ, evidentissime constat, & fateri Hispanos ipsos hac invicta ratione necesse est, quod cum Monasterii ad certas pacis leges Hispania ob conjunctionem Gallo Batavicam consenserit, easdem nunc amplecti ob Gallo Anglicam omnino respuat, ut in non tanto discrimine constituto Belgio. Quod si ad implicandum duntaxat illi bello Imperium par aut majus periculum nunc adesse Hispani asserant, quin, non involuta injuria Imperio è vado facillimè emergunt amplectendo conditiones Monasterienses, quibus Rex Christianissimus paratus est quaque die paci cum inclusione fœderatorum suorum subscribere. Hodie igitur intolerabilior esset talis immixto, in causam prorsus alienam nec talia extrema meritam & toti Imperio multis nominibus periculosior. Lex etenim scripta est, & fide communi sancita, quam omnes & singuli conventionis tam sanctæ socij illæsam præstare omni jure secundum instrumentum pacis tenentur, junctis cum parte læsa viribus & consilijs arma sumere ad repellendam injuriam à passo moniti. Ea lege evidentissime cautum est, quod nunquam satis potest inculcari, nempè quod nec Imperator, nec ullus Imperij Status immiscere se queat directè vel indirectè, bellis in Circulo Burgundico jam vertentibus nullo unquam titulo vel prætextu, vel ullius controversiæ Bellive ratione; videnturque verba pactionis publicæ præ se à sapientissimis Legislatoribus adeò perspicue posita, ut quos hodie emergentes casus hinc præviderunt, iisdem simul abunde & convenienter providerint modò, quod laudatissima prudentia sanxerunt, pari religione observetur.

De quo Christianissimæ Regiæ Majestatis vel pro certa pace, vel an bellum sit inevitabile plena cum facultate perquisitum huc missi Legati & Plenipotentiarii tanto minus ambigunt quanto ejus Majestas erga Augustissimum Collegium Electorale singulari amicitiâ propendet, firmâque spes est, ut sibi certior

ac realis fruendæ imposterum pacis assecuratio præstetur, atque in hoc Imperii interregno justitia juxta leges publicas super Pacis infractionibus administretur, ne suum sibi ipsa tribuere, indeclinabilibus statui & regno suo impendentibus necessitatibus promoveatur invita.

Sanctè interim testantur præfati Legati, idque non alia de causa quam ut suus duntaxat veritati detur locus, se ab adventu suo Francofurtum in nullum alium Scopum in tractandis quibuscunque negotiis collimasse, quam majoris Germaniæ tranquillitatis, & pacis in Imperio firmiùs stabiliendæ, de cætero enim non tam parca manu providit Deus Regum Francorum dignitati, potentiæ, & magnitudini ut aliud quodquam humanum fastigium invidere possint cuivis Principi, & modo certa fuisset aut foret Gallia Instrumentum Pacis candide & reipsa sine cavillationibus observatum iri; Perinde etiam semper fuisset & esset Regi Christianissimo an ex unâ vel alia domo Princeps in Imperatorem eligeretur, ipsumque Hungariæ & Bohemiæ Regem utpotè sanguine sibi propinquiorem, & superantibus ætatem animi dotibus præcellentem optasset ejus Majestas omnibus præferri, idque precibus & officiis suis, quantum in se est, hactenus ipsamet sincere promovisset, si fortunata illa Maximiliani II. & Rodolphi, tempora potuissent sperari, quibus nimia ab Hispanis post usurpata in Aulis Cæsareis authoritas, Imperii cum Gallia conjunctionem adeò utrisque populis conducibilem nondum distrahebat, nec nisi tunc mutuis bonæ viciniæ & fidæ amicitiæ argumentis & pignoribus invicem certabatur, nihilque potius habebant Cæsares pacis tutela qua non Hispanorum sed Statuum & Civium Imperii amorem & observantiam justissime demererentur.

Quid simile aut diversum imposterum sperandum aut timendum sit, viderint, & Germaniæ cum primis bono providerint Eminentissimi & Serenissimi S. R. I. Electores. Absit nihilominus ipsos quicquam monere æquissimum Regem, quasi prætenso sibi aliquo in Electionis negotio id faciendi jure, amice enim solum & ex debito Principi Christiani bella aversantis Imperio vicini, & pacis socii ea admonet, quæ ad commune populorum bonum, & tranquillitatem firmandam putat prorsus necessaria. Requirit tamen interea, quæ sibi præstari justum est & facile, inhærendo enim tribus scriptis hic adjunctis, ulterius vigore §. Veruntamen generalem &c. virtute verò communis Ordinum Monasterii & Noribergæ factæ Regi declarationis, specialem garantiam prædicti Legati ejus Majestatis nomine solenniter requirentes petunt

*Vt germanæ Copiæin Insubriam missæ ab Italia revocentur; Vt sine Imperii
aut Electorum consensu introductus Vicariatus Mantuani Ducis, ejusque Ge-
neralatus Imperialis, ac Mandata & Acta, si quæ sint, in Mutinensem Ducem
aboleantur: Sabaudiæ Dux in plena Vicariatus sui & omnium instrumento
pacis pro conventorum fruitione ipsi etiam indilate tradita dicti vicariatus
confirmatione relinquatur: Mantuæ Duci præcipiatur intra certum termi-
minum Trini cessio & restitutio, quatenus potest, indilate Duci Sabaudiæ fa-
cienda sub pœna vasallis inobedientibus pacisque fractoribus præfixa, ipsique
etiam inhibendo, ne ulterius pacis dispositioni contraveniat. Investitura Mon-
tisferrati ad formam præcedentis ab Imperatore Ferdinando II. concessæ ex
instrumento pacis debita Duci Sabaudiæ cum aliis ibidem promissis confestim
concedatur, nec ullo sub conditionis prætextu retardetur. Investitura etiam
Correggÿ ex æquissimis rationibus pro parte Ducis Mutinensis ab ejus Manda-
tario fuse deductis dicto Duci continuo concedatur, atque deinceps omnis sub
quocunque prætextu novi belli hostisve, Circuli, feudi vel Imperii tuendi, con-
servandi, aliterve pro Hispanis in Italia, & in Belgio sive Imperatoris sive
Austriæ Principum assistentia (ineluctabilis novorum bellorum causa) fortius
ac antehac in hac Cæsarea Electione in futurum præcaveatur atque prohibea-
tur. Sin minus talia ex instrumento pacis omnino debita prætestentur, plusque,
quovis tempore possit, apud Germanos omnes dissita Hispania Germanicæ pacis
exsors ad infringendæ dictæ Pacis libertatem promovendam, & impunitatem
stabiliendam quam vicina Gallia pacis consors & socia ad fidei sanctorumque
pactorum observationem obtinendam, cautelisque necessarÿs firmandam, eo
casu, (quem absit credi posse) prædictæ Majestatis Legati quo possunt meliori
modo & ratione declarant & protestantur, omnium, quibus innocui Germa-
niæ status & populi obnoxii in futurum esse possent, malorum & calamitatum,
ob negatam Iustitiam, ludificatos, aut non jure provocatos cæteros Potentatus,
& Hispana placita & commoda plus æquo attenta, Regem Christianissimum
innocentissimum esse & in perpetuum fore, suæque istius declarationis &
protestationis ab Augustissimo Electorali Collegio actum authen-
ticum ante Electionem Imperatoris sibi extradi
reverenter postulant.*

Datum Francofurti die 5. Martÿ 1658.

1. Pax Pax polono-svecica Olivæ d. 3 Maji 1660
2. Pax Germano-svecica Monasterii Westphalor. 24 Pax 1648.
3. Pannonia perorata etc p. Joh: Wolff 1652
4. De sacra corona regni Hungariæ ortu etc Petri de Reva 1652